

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



19
COLLEGII SECUNDI
In Augustanam Confessionem
DISPUTATIO IV.

continens

ANTIΘΕΣIN ARTICULI IV.

De

VOCIBUS GRATIS
ET GRATIA,

Proposita

In inclutâ Electorali Academiâ VVittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

R E S P O N D E N T E

JACOBO VVINNEMERO,

Stetinensi-Pomerano.

Habebitur in Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 26. Julij.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX

COLLEGIJ SECUNDI
In Augustanam Consensionem
DISPUTATIO IV.
CONTINENS
ARTICULOS ARTICULI IV.
DE
VOCIBUS GRATIS
ET GRATIA.

Inclusa Hec oratio ad hunc Vitebergensem
P. P. S. I. D. E.
JACOBO MARTINI S. Th.
D. & Prof. P. P. Primario, Facult. Theol.
Seniore, ac Temp. Aris. Propositor.

RESPONDEAT
JACOBO VINNEMERO,
Seniore, Primario.
Habitante in hujusmodi Collegio S. Th.
ad hunc ad part.

WITTEBERG.
Typis Heredum SALOMONIS AVERRAUM
Anno M. DC. XXIX.





Continuatio.



Abusum Justificationis apud Pontificios & Jesuitas in articulo de justificatione vidimus & examinavimus, ni fallor, sufficienter, & quantum instituti nostri ratio desiderat; consequens est, ut de posterioribus duobus terminis (ut præcedente disputatione promisimus) nempe *GRATIS & GRATIA*, antequam ad rem ipsam nos conferamus, hac disputatione videamus, & eorum quoque verum usum in hoc ipso articulo ab abusu Pontificio diligenter distinguamus, ut ita terminis undique rectè explicatis & distinctis expeditior sit rerum tractatio.

THESES.

I. Voces hæ, *Gratus & Gratia*, si quæ aliæ, cum primis explicatione indigent, quod & magnus earum est usus, & in re hac longè maxima, nempe articulo Justificationis, & denique quod vocum harum inscitia periculosissimis erroribus occasionem præbuit.

II. *Gratus* vox Hebræis est חִינָם , *Chinnam* à radice חָנַן quod est Gratosum esse, gratia aliquem prosequi, beneficium esse, beneficium gratuito conferre, in gratiam recipere. Et excludit omnem dignitatem & meritum, ut in Kal, Genes. 33. v. 5. *Pueri quos חִינָם gratiosè largitus est Deus servo suo.* Et v. 11. *quia חִינָם gratiosè largitus est mihi Deus.* Conferatur 2. Samuel 12. v. 22. Psal. 37. v. 26. Sic in Piel Psal. 102 v. 14. *quia tempus est חִינָם (pro חִינָם ut annotat Rabb. David in Michol & libro Rad.) faciendi gratiam ei.* Sic Psal. 9. v. 14. *Gratiam fac mihi Jehova.* Ita in Nishal, Jeremiæ 22. v. 23. *quam חִינָתִי grata eris tibi, i.e. quæ*

gratulaberis tibi. In Hophal. Esai. 26. vers. 18. *Gratia fiat improbo.* In Hitphaél est orare : supplicare pro gratia, supplicem se præbere, gratiam implorare, 1. Reg. 9. v. 3. *Audivi orationem tuam & preceationem tuam, qua* *התננתני* *deprecatus es coram me &c.*

III. Vox porro Hebræa *דָּוָן* ubicunque in veteri Codice legitur, à LXX. vertitur pro *δωρεάν*. Ut Genes. 29. v. 15. *Servies mihi* *דָּוָן* *gratis*, Græcus sive LXX. *δουλεύσεις μοι δωρεάν* Exod. 21. v. 11. *tunc exito* *דָּוָן* *gratis absq; pecunia.* Græcus *δωρεάν ἀνδρὸς δωρεῖς.* &c.

IV. Habet autem vox, *Gratis*, varias in scripturis sacris significaciones : Quæ verò omnes ad duas revocari possunt. Ut nimirum accipiatur vel de beneficio, ex mera liberalitate collato : vel de injuria per improbitatem, aut etiam ob nullam, aut ob non justam causam immerenti illatam, semper in utroque significato excluso merito, cui vel benefis, vel malum infertur.

V. In priore significato vox *δωρεάν* ubique & in Veteri & Novo Testamento legitur : Estque idem quod *Gratuito*, sine pretio, sine interventu pecuniæ, sive pretii cujusvis, meritoque, sicque opponitur solutioni pretii, mercedis &c. Sic Genes. 29. vers. 15. jam allegato. *Numquid servies mihi gratis? indica, mihi quid erit merces tua?* Exod. 21. v. 2. *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet, ac septimo egredietur liber gratis.* Matth. 10. v. 8. *Gratis accepistis, gratis etiam date.* 2. Cor. 11. v. 7. *δωρεάν gratis, gratuito Evangelium DEI predicavi vobis.* 2. Thess. 3. 8. *Neque δωρεάν gratis panem edimus acceptum à quoquam, sed cum labore & ærumnâ nocte dieq; operantes, & ad hoc ne quem vestrum gravaremus.* Atque hanc quoque significacionem apud autores profanos, tum Græcos, tum Latinos obtinet. Aristotel. lib. Oecon. *Τριμηνεὸν σιταρχίαν, δωρεάν αὐτοῖς δίδουσα* : trimestre stipendium gratis ipsis dare. Plutarchus in Philip. *Decretum erat ipsi δωρεάν dare centum & viginti talenta, ubi δωρεάν dare, est donare.* Demosthenes : *ἔδωκα δωρεάν τὰ λύτρα.* Sic Cicero ait : *Habitare gratis in aliqua domo : alicui gratis servire.*

6. Postle-

VI. Posterior significatio tres speciales complectitur. *¶*
Ut significet *ἀφ' οὐκ ἔστι αἰτίας*, vanam aut nullam ob causam, petulan-
ter, ohnursach / vergeblich reddidit Lutherus. Quare etiam in
hac significatione justæ ac veræ causæ opponitur Prov. 24. v. 28.
Ne sis tristis gratis contra proximum tuum. h. e. sine vera causa aut
gravi ejus culpa. Joh. 15. v. 25. *Odio habuerunt me δωρεὰν gratis,* Eras-
cum vers. vulgata. Beza, *Oderunt me immerito.* Luther. *Sie hassen*
mich ohn Ursach. ex Psalm. 35. vers. 19. *odio me habuerunt gratis*
vulg. Pagninus vertit: *Odio habuerunt me sine causa.* Tremellius:
Odio violento oderunt me. Lutherus: *Und hassen mich aus freffel.*
Conferatur Psalm. 69. v. 5. Psalm 109. v. 3. &c. Thren. 3. v. 52. *coeperunt*
me, ut avem gratis: h. e. qui nihil tale eram meritis.

VII. Deinde *μαρτυρῶ* temerè, sive de nihilo. Proverb. 3. v. 36.
Non contendas cum homine δωρεὰν temerè. Et cap. 26. v. 2. *Sicut pas-*
seris est vagari, & ut hirundinis est volare, sic maledictio δωρεὰν (teme-
re) prolata non veniet.

VIII. Tertio opponitur optato & intento eventui, ut
idem sit, quod inaniter, incassum. Ad Gal. 2. vers. 21. *Si per*
Legem est justitia, igitur Christus δωρεὰν gratis (id est, frustra) mor-
tuus est. Hinc etiam Hieronymus sensum inspicieus ita reddidit:
Christus frustra mortuus est: Et Beza, *Christus sine causa mortuus est.*
Et Lutherus. *So ist Christus vergeblich gestorben.* hoc est nihil
profecit & acquisivit nobis morte sua, ut nos nostramet su-
dore justitiam ac vitam acquirere oporteat.

IX. In primo itaque significatu vox hæc in Novo Testa-
mento usurpatur, quando agitur de gratuita hominis Justifi-
catione & salute. Sic Romanor. 3. v. 24. *Justificantur autem*
gratis ejus gratia &c. Id est, gratuito, sine nostro merito, quod
vel ipse Bellarminus negare nequit. Nam licet vocem *Gratiã*
interpretetur de infusa gratia, hanc tamen in illa significatione,
quam nos urgemus, sustinendam esse concedit, uti videre est in
precedente disputatione: ubi simul demonstravimus, quod
vox *Gratiã* hic non significet donum gratiæ in nobis, sed gratiã
ac favorem in DEO: Ut sit sensus Apostoli: *Justificantur gratis*
gratiã ipsius, id est, sine omni nostrorum operum compensatione, aut meri-
to, quod aliàs dicitur, sine operibus, sine lege, sine nobis.

X. Atque sic discernit hæc vox promissiones legales ab Evangelicis. Illæ enim sunt conditionales, efflagitantes meritum, aut plenam legis obedientiam. Hæ vero sunt respectu illarum absolutæ, pendentes ex solo merito Christi, sicq; nobis planè sunt gratuita.

XI. Proprietas hæc Evangelii etiam aliis terminis exprimitur exegeticis, ut Esaia. 52. v. 3. *Gratis venditi estis, & sine pretio redimemini.* Esaia. 55. v. 1. *Omnes sitientes venite, ad aquas: & quibus non est argentum, venite, accipite, & comedite sine argento & sine pretio.* Sicut & Christus clamat in Evangelio. *Venite ad me omnes, qui laborati & onerati estis, ego reficiam vos.*

XII. Ut ergò David de se dicit Psal. 69. v. 5. *Oderunt me gratis;* propterea quod odii causa nulla fuit in Davide: Eodem modo dicit Paulus, *Deum nos gratis justificare,* & voce *gratis* significatur causam justificationis prorsus nullam in nobis esse, sed totam in DEO: nempe unicam & solam *αεγνηθυμεινν* seu impellentem ac moventem in DEO fuisse gratiam, id est, paternum favorem atq; immensum amorem Dei, quo ille miseriam nostram misereri clementer dignatus est.

XIII. *Gratis* ergò DEUS justificat impium, qui non promeruit: sed non contra *gratis* punit piū, qui pœnam non promeruit. Cujus causam reddit D. Augustinus lib. 3. contra Julianum Pelagianum in fine cap. 19. tom. 7. oper. mibi pag. 1007. B. inquit: *Bonus est DEVS, justus est DEVS, potest aliquos sine bono merito liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malo damnare, quia justus est.*

XIV. Vox ergò hæc in dictis Scripturæ, de Justificatione nostra loquentibus, omnem in nobis vel *αεγνηθυμεινν* vel *αεγναθηθυμεινν* causam excludit: Cum homo non tantum non justificationem promeritus sit, sed etiam contrarium, nempe æternam damnationem promeruerit: dictioq; hæc vi suæ significationis & usu in scripturis obrepto, non tollat solum meritum ejus, quod contingit: sed etiam quandoque contrarium meritum potius indicat: ut Syrac. cap. 29. v. 8. *ηγα εως ησθη εαυτον εχθραν δωρεαν: possidebit inimicum gratis.* Hoc est, si quis pecuniam mutuo dederit alteri, qui non libenter solvit, hunc ipsum habebit inimicum gratis, id est, sine suo merito: cum

potius contrarium, nempe bonam gratiam, favorem & amicitiam promeruerit.

XV. Ad potestatem hanc vocis *Gratis*, omne meritum in nobis recludentis, respexit Augustinus de verbis Apostoli sermone 15. Tom. 10. mini pag. 330. b. Nihil in eis invenis, unde salves, & tamen salvas. *Gratis* das, *gratis* salvas. Omnia merita precedis, ut dona tua consequantur merita tua. Prorsus *gratis* salvas, qui nihil invenis, unde salves, & multam invenis unde damnes.

XVI. Bellarminus lib. 1. de *Justificat.* cap. 27. excipit: Particulam *Gratis* duobus modis accipi: Vno, ut opponatur debito ex justitia, si ve meritis ex condigno, quae sunt absolute & simpliciter merita: Altero ut operi facto sine ulla gratia ex solis naturae viribus, si ve illud opus dicatur meritum de condigno, si ve de congruo, si ve etiam solum dicatur conditio aut ratio aliqua, cur detur homini *Justificatio*. Priori modo, ait, *Justificationem gratuitam* non excludere opera, quae dicantur concurrere ad *Justificationem*, ut dispositiones vel ut meritum de condigno, modo ne tribuatur eis meritum de condigno. Posteriore vero *Justificationem gratuitam* non excludere merita absolute; sed propria, quae in nobis, & ex nobis, non ex DEO sunt. Probat hoc: Interim enim quae in nobis sunt ex DEO, originem ducunt ex gratia praeveniente: proindeque cum gratia non pugnant: nisi absurdè dicere velimus, gratiam cum gratia pugnare. Addit, modo priore non esse idem, *Justificari gratis*: & *Justificari sola fide*. Illud namque esse *Justificari sine merito de condigno*: hoc vero, nihil requirit ad *Justificationem* nisi fidem: Posteriore vero modo idem esse, *Justificari gratis* & ex fide & sine operibus, quia fides sit primum DEI donum, ut, qui *Justificetur ex fide*, non *Justificetur ex operibus* precedentibus, sed ex gratia & gratis: cum ipsa fides sit gratia.

XVII. Exinde tandem ejusmodi colligit *non sequi*: nempe non sequi, si homo *Justificetur gratis*, *Justificari eum sola fide*: sed sicut *Justificatio gratuita* non excludit fidem, quia fides est ex gratia: sic neque excludere penitentiam & dilectionem, aut opera penitentiae, dilectionisq; quae sunt ab eadem gratia. Atque hanc suam conclusionem vult porro probare autoritate Augustini.

XVIII. Nos contra. Introducit Bellarminus duos modos dicendi *gratis*, sed ex quo fundamento, vel etiam ex qua arte
Logical

Logica? Quis enim Logicorum unquam ita ineptiit, ut diceret Animal duobus dici modis, cum dicatur de homine & de bruto? Sane longè est alia ratio τῶν ὁμωνύμων & τῶν καθόλων. Utraque quidem de pluribus dicuntur, sed aliter hæc, aliter illa. Catholica sive Universalia propriè dicta, hoc est, quæ Philosophis τὰ καθόλα definiuntur, illa dicuntur, quæ non tantum nomen participant, sed etiam secundum illud nomen eandem definitionem habent. Sic homo & brutum, leo, taurus &c. Animalia sunt, & quidem diversa inter se, sed eodem tamen modo animalia: quandoquidem non aliter animal homo, aliter animal leo, vel taurus. Homonyma verò in eo quidem cum Catholicis & Univocis conveniunt, quod idem habeant nomen: sed maximè in eo ab illis distant, quod diversis essentiæ definitionibus nobis objiciantur ut *Taurus*, tum homini, tum quadrupedi, tum monti, tum fideri tribuitur: quæ verò diversissimis definitionibus & essentiis discriminantur: & quia definitiones variant, etiam modi nominum. *Taurus* quadrupes per definitionem generis: *Taurus homo*, Taurus mons, per nudam liberam nominis impositionem: cujus ratio nulla datur: sidus denique per quandam similitudinem. Atque sic dici solent varii modi significandi.

XIX. Quæ etiam ratio in vocula δωρεάν gratis obtinuit, sed longè alio usu, ut modò annotavimus. Propriè enim significat id, quod gratuito fit ac prompto in alium affectu absq; ullo merito, ut Matth. 10 v. 8. *Gratis accepistis, gratis date*, sed translate id, quod fit frustra, ut Gal. 2. v. 21, *Si per legem est iustitia, frustra Christus mortuus est*: vel sine justa ac legitima causa, Joh. 11. v. 15. *Odio habuerunt me gratis*. Quæ posteriores duæ rationes alia sunt à prima,

XX. Verum longè aliter se res habet in distinctione Bellarmini: Quandoquidem *meritum congrui* & *meritum condigni*, sub eodem *Meriti* genere continentur, ut homo & brutum sub eodem animalis genere. Si ergò id, quod fit gratis, fit sine merito, eadem definitionis ratione opponitur condigno & congruo, non vario significandi modo: Haud aliter ac res se habet in adducto

ducto simili: si aliquid factum est non ab animali, eadem definitionis ratione opponitur homini & bruto, non varia significatione: Ergo Bellarminus amplitudinem debuit coëtere, non homonymias hos varios dicendi modos accusare. Hæc verò aqua Jesuitæ, proindeq; facilius fuit fumos excitare. Nos verò illos sophistarum more excitatos non moramur, sed constanter asserimus ac defendimus, particulam *gratu*, & sic Gratuitam nostram justificationem toti generi meriti, proindeque omnibus ejus speciebus opponi, sicque & *congruum & condignum* excludi, ut maximè danda esset divisio congrui & condigni. Perinde ac si quis dicat: nullum in sphaera Lunæ vivit animal: etsi aliud sit rationale, aliud irrationale: Sic quando legimus: Non facias tibi sculptile: etsi aliud sit aureum, aliud argentum, aliud ligneum, aliud lapideum: tamen nunquam admittamus, aut homonymiam ibi esse in genere *animalis*; aut hîc in præcepto, aut probari ibi tantùm rationalia negari, & hîc tantùm lignea aut lapidea prohiberi.

XXI. Nam, quod inficiatur intelligenda esse opera, quæ à gratia proveniunt, quod gratia non opponatur gratiæ; Nugæ sunt. Nam. 1. etiamsi illa hoc titulo non removerentur, nihilominus alio excluderentur: nempe quod iis operibus non possit quisquam justificari, quæ ipsa non nisi à justificato fiunt: quia effectum non potest esse causa suæ causæ 2. mutat Jesuita, hoc est, Sophista, terminos quæstionis: Quando enim probandum illi est, opera non excludi à justificationis causa; tunc hoc præterit, ac loco ejus probat, non pugnare cum gratia, si-ve etiam, non pugnare cum justificatione: atque sic illud non probatur, quod erat probandum. Possunt enim non pugnare cum gratia si-ve justificatione, ut tamen non sint causæ justificationis.

XXII. Præterea & hoc addimus: quòd *meritum congruum*, si-ve ut illi loquuntur potius, *de congruo*, sit mera in rerum natura Chimæra: uti illud suo loco probabimus.

XXIII. Quare firma erit nostra Conclusio: Quod hominem justificari *gratu*, sit gratuito, sine merito, ac sic sola fide

B. in justifi-

justificari. Nec in oppositum valet instantia. Non enim propterea non excluditur fides; quia est & fit à Spiritu Sancto: aliàs concederemus neque reliqua opera excludenda esse: cum æquè fiant à Spiritu Sancto: sed ideò, quod eã Deus admittere dignetur, cæteris operibus vel omnibus deficientibus, eamq; pro justitia imputare, non quidem respectu sui, suæve dignitatis aut efficacix, & sic quia est bonum opus: nequaquam; sed propter solum Christum, quem apprehendit. Quare etiamsi omnia cætera quoque opera sint à gratia: tamen sola fides justificat: quia sola justificare potest, quod sola Christum apprehendere potest: idque de cæteris negatur.

XXIV. Cæterùm Jesuita Augustinum pro se citat gratis. Eò enim loci neque poenitentiam, neque dilectionem, neque ulla alia opera admittit. Sic enim scribit tom. 2. p. 462. *Ea (gratia) est, quã justificatur impius, id est, fit justus, qui prius erat impius. Et ideo percipiendæ hujus gratiæ merita nulla præcedunt: quoniam meritis impii non gratia, sed pœna debetur: nec ista esset gratia, si non daretur gratuita, sed debita redderetur. Et paulò ante: Quæ tamen misericordia & veritas ita sibi occurrunt, quia scriptum est (Psalm. 84.) Misericordia & veritas obviarunt sibi: ut nec misericordia impediatur veritatem, quã plectitur dignus, nec veritas misericordiam, quæ liberatur indignus. Quæ igitur sua merita jactaturus est liberatus, cui si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus? Nullane igitur sunt merita justorum? Sunt planè, quia justus sunt: sed ut justus fierent, merita non fuerunt. Justus enim facti sunt, cum justificati sunt: sed, sicut dicit Apostolus, justificati gratis per gratiam ipsius.*

XXV. Et de fide scribit ibidem Augustinus pag. 462. D. & pag. 463. A. *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, quã fide ille dicebat: DEVS propitius esto mihi peccatori (Luc. 18.) & descendit fidelis justificatus merito fidelis humiliatus; quoniam qui se humiliat, exaltabitur. Restat igitur ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, propter quod dicitur ad Ecclesiam in Cantico Canticorum: Venies & pertransies ab initio fidei: restat, inquam, ut ipsam fidem non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis: quoniam unde incipiunt bona quacumq; sumi munera, sed gratuitum donum DEI esse fateamur.*

mur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus. Quia sicut in eadem Epistola legitur: DEVS unicuique partitur mensuram fidei Rom. 12. v. 3. Opera quippe bona sunt ab homine, fides autem fit in homine, sine qua illa à nullo sunt homine. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Quare ne se vel ipsius orationis meritum extollat, etiam ad vincendas temporalium rerum cupiditates & diligenda bona aeterna, atque ipsum fontem omnium bonorum, DEI adiutorium datur oranti, fides erat, quae data est non oranti, quae utique nisi data esset, orare non posset. Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent, quem non audiverunt? quomodo audient sine praedicante? Igitur fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Proinde minister Christi hujus fidei praedicator, secundum gratiam, quae data est illi, plantator est & rigator. Nec tamen qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat DEVS, qui unicuique partitur mensuram fidei &c. Videantur caetera subsequencia.

XXVI. Hisce sane Augustini dictis potentissime conficiuntur, quaecunque de praeparationibus nugantur Jesuitae. Uti etiam nequaquam negat sola fide hominem justificari: sed contrarium asserit. Quicquid enim est operum excludit, negans disertè, constanterque ullo merito bono justificari, solam fide exceptam, & si solam non excipit; cur non aliud expressit, & fidei addidit: deinde, cur disertè scripsit, operibus nihil nisi poenam deberi? & tandem quid quæso contra Pelagianos promovisset?

XXVII. Inquis: Meritum tamen fidei agnoscit Augustinus? Sic est: Nam disertè: *nec ipsa remissio sine aliquo merito*: Nota: non absolutè dicit *sine merito*, sed *sine aliquo merito*: nempe quia saepe *meriti* voce abuitur: itaque indicat, fidem posse dici meritum, sed abusivè, & explicat: quia fides impetrat. Verum precari, non mereri est. Quis enim Regum concedet se ex debito condonare poenam reo, quia plurimum flagitanti?

XXVIII. Id verò urget adhuc Jesuita, quod Augustinus negans, propterea justitiam non esse gratiam, quod fide impetretur; quia ipsa fides gratis datur: Inde verò sperat similiter se posse de operibus: etiamsi per bona opera justificemur; tamen justificationem fore gratuitam: quia ipsa sunt à gratia.

XXIX. Verùm non attendit Jesuita, apud Augustinũ longè aliam esse rationem fidei & operũ. Dixit enim opera bona fieri ab homine, fidem autem fieri in homine: sine qua illa à nullo esse homine: omne enim, quod non est ex fide peccatum est. Quibus verbis disertè explicat, quomodo Justificatio, quam fides impetrat, sit tamen gratuita: & non sit tamen gratuita, si cœteris operibus tribuatur; quamvis tam hæc, tam illa sint ex gratia: nempe quia fides & gratia fiunt in nobis, opera autem per gratiam fiunt à nobis: per se autem notum sit: quicquid rationem meriti propriè habet, ita ut gratiæ opponatur, id fieri à nobis: ac proinde quod fit in nobis, nec fit a nobis, meriti rationem habere non posse. Res ergò expedita & plana est: Justificatio per fidem, quæ à gratia est, non gratuita esse definit, quod fides in nobis sit. Dic sodes, Bellarmine, tantundem de bonis operibus, & tibi spera testem Augustinum. Hactenus de voce *Gratis*.

XXX. Sequitur nunc vox Gratia. Martinus Becanus tractatu 4. de Gratia cap. 1. de natura & divisione Gratia, Gratiam definit, quod est donum quoddam supernaturale, quod gratuito nobis datur. Et disput. de auxiliis grat. part. 2. cap. 1. thes. 1. Gratia, inquit, propriè est gratuitum & supernaturale Dei donum, quod per Christi merita nobis confertur ad vitam eternam consequendam.

XXXI. Definitionem hanc probat illo Augustini in Psalm. 44. Gratia merito nominatur, quia gratis datur. Et porro addit. Opponitur enim ei, quod non datur gratis, sed ex debito, ut colligitur ex illo Rom. 4. v. 4. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Et Rom. II. v. 6. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioqui gratia jam non est gratia.

XXXII. Eodem modo statuit Bellarminus lib. 1. de Gratia & lib. arb. cap. 1. & cap. 2. Et Gregorius de Valentia tom. 2. disp. 8. quest. 1. part. 1. dictum Augustini in Psalm. 49. citat: Si gratia vocatur, gratis datur. Et Costerus cap. 6. Enchiridii pag. 228. Gratiam DEI definit, quod sit qualitas quedam, divinitus infusa anime, quæ non aliter fugentur peccata, quam tenebræ adventu luminis, & per quam accipiat anima nitorem divinamq; pulchritudinem, qua non modo

jam

jam dicatur, sed revera sit grata DEO & homo gratia praeeditus jam nominetur, ut sit amicus, imò filius DEI.

XXXIII. Significationem hanc vocis *Gratia* sumserunt ex D. Thoma Aquinate : & hic ex Magistro Sententiarum, Lombardo. Sic enim Thomas in prima secunda quest. 110. describit *Gratiam*, quod sit supernaturalis qualitas seu forma accidentalis animae, & quaedam participatio divinae naturae, diversa nonnihil à virtute, & à DEO data ad juvandam nostram pietatem, bona opera & reconciliationem cum DEO.

XXXIV. Non quidem imus in facias, *Gratiam* in scripturis sacris interdum significare dona gratuita, uti sunt omnia illa, quae DEUS in nos gratis confert: eaque vel naturalia, quae à creatione pendent, atque communia sunt piis & impiis: vel spiritualia, quae ex regenerationis beneficio hominibus obtingunt, qualia sunt: Fides, Spes, Charitas, aliaque *χαρισματα* prophetandi, faciendi miracula, loquendi variis linguis, & similia dona particularia ad tempus Ecclesiae concessa 1. Cor. 12. Verum propterea proprie & principaliter *Gratiam* à *Gratis* dando dictam esse, negamus. Quandoquidem haec nominis notatio nimis stricta est, nec omni gratiae, sed tantum gratis datae, ut loquuntur, hoc est, gratuitis donis convenit. Quare illorum potius Etymologia probanda est: qui *Gratiam* à *Grato* deducunt, idque de Grammatica derivatione verissimum esse quis non videt? Ut enim à *justus*, & quidem ejus genitivo *justi* derivatur *justitia*: Sic à primitivo *Gratus* & quidem ab ejus Genitivo *Grati* descendit *Gratia*. Et cum Grammatica hanc derivationem consentit etiam realis: Nam *Gratum* significat rem acceptam, amitam & exoptatam: quod ad omnes *Gratiae* significationes quit accommodari.

XXXV. Sed Etymologia nominis missa, ad significationes & potestates vocis hujus nos conferimus. Quae dividi possunt in usitatissimam sive principalem & minus principales.

XXXVI. Usitatissimam, principalem & maxime propriam, quam in sacris literis habet vox *Gratia*, dicimus eam,

B. 3

qua

quã denotat Gratuitum DEI favorem, misericordiam, & dilectionem DEI, quã credentes in Christo complectitur. Hanc Flacius in clave Scripturæ *Activam* vocat: quia DEUS per eam erga nos efficax est & agit.

XXXVII. Hebræa vox est יָרַח masc. Genes. 6. vers. 8. יָרַח נָשָׂא *Invenit gratiam*: Et יָרַח נָשָׂא fem. Jerem. 16. v. 13. Etiam à radice יָרַח gratum facit, misericors, gratiofus fuit, misertus fuit. A quo descendere videtur nostrum Germanicum Gön-
nen / Günst LXX. plerumque reddiderunt per *misereri, parcere* &c. Sic illud Exod. 33. vers. 19. *misereror cui voluero*. Apostolus Paulus Rom. 9. vers. 15. sic expressit: ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, & sic per misereri exposuit. In Novo Testamento aliàs in usu est χάρισμα & χαριτώω, quod propriè significat, *diligere, fovere, gratia complecti, item dona conferre*. Luc. 1. vers. 28. 2. Cor. 2. v. 10. Actor. 17. v. 24. Ephes. 1. v. 6. Et nomen χάρις Luc. 1. vers. 30. Joh. 1. v. 14, 16, 17. Actor. 15. v. 11, cap. 18. v. 27. Rom. 1. v. 5. & 7. c. 3. v. 24. & multis aliis in locis.

XXXVIII. Hæc itaque est principalis & usitatissima vocabuli hujus in Sacris scripturis significatio: in qua accipitur in Articulo hoc justificationis: opponiturq; dignitati, operibus & meritis nostris. Nam secundum Augustinum in Psal. 34. *Gratia non est ullo modo, si non est gratuita omni modo*.

XXXIX. Reliquæ minus principales omnes ab hac principali dependent, & ad hanc sese analogicè habent. Prima ergò est, qua accipitur pro *donis gratuitis*, quæ nimirum credentibus & renatis per Spiritum Sanctum obveniunt, per Metonymiam effecti pro causa: pro dono enim ponitur principium donationis, quod est gratia, ut Rom. 12. v. 6. *Habemus dona differentia, juxta gratiam, quæ data est nobis*. 1. Cor. 15. v. 10. *Gratia DEI in me non fuit inanis: plus enim laboravi istis omnibus*.

XL. Deinde haud rarò significat *donum alicui ex gratia collatum*: qualia sunt tam corporalia, ut sunt optimum corporis temperamentum, sanitas, robur, bonitas ingenii ac indolis, divitiæ &c. quàm Spiritualia: ut sunt Fides, Spes, Charitas, item χαρισματα alia Spiritus Sancti: quorum quædam jam
modo

modò enumeravimus. Atque sic sumitur per eandem figuram. Et congruit etiam verbum Hebræum דָּן quod quandoque donare significat. Ut quando Jacob Patriarcha ad Esavum de suis liberis dicit Genes. 33. v. 5. Isti pueri sunt; quos DEVS דָּן gratificatus, seu ex gratuito favore largitus est. Act. 11. v. 23. de Bernaba dicitur: Qui cum vidisset τὴν χάριν τοῦ θεοῦ, hoc est, donum in credentes effusum, ut quidam interpretantur, gavisus est.

XL I. Tertiò significat sæpius compensationem doni gratis dati: ut cum dicitur: Gratias tibi ago. Luc. 17. v. 9. Num gratiam habes servo illi?

XLII. Quartò notat gratiositatem, sive mansuetudinem & comitatem, quâ quis omnibus bonis se reddit amabilem Luc. 2. vers. 52. Et Jesus proficiebat Sapientia & etate & gratia apud DEVM atq; homines. Act. 2. v. ult. Laudantes Deum, & habentes gratiam apud populum &c.

XLIII. Quintò; in Specie Eleemosyna ab Apostolo nominatur gratia, ut. 1. Cor. 16. v. 3. Ut perferant τὴν χάριν ὑμῶν, munificentiam (reddidit Erasmus) Hierosolymam.

XLIV. De posterioribus hisce significationibus, quas minus principales & secundarias dicimus, hoc loco propriè nō controvertitur: tantùm de prima principali quæritur: quâque nos contendimus verbum Gratia ubicunque in Epistolis Paulinis Justificationis nostræ causam notat, solùm DEI notare bonitatem, favorem & misericordiam: Jesuitæ contra illud per Habirum & Qualitatem infusam definiunt. Ac proinde inter alios hunc in modum de Gratia hac Philosophatur Becanus tract. 4. de Grat. cap. 1. de natura & divis. gratia.

XLV. Donum supernaturale, inquit, & gratuitum dupliciter spectari potest. Primò, quatenus ex sola liberalitate confertur alicui, qui nec dignus, nec indignus est: quo pacto collatum fuit Angelus in creatione & primis parentibus in statu innocentie. Secundo quatenus per merita Christi confertur peccatoribus & indignis, cujusmodi nos sumus post lapsum primi parentis. Hoc sensu loquitur Apostolus Rom. 3. v. 24.

XLVI. Hanc porrò gratiam variè subdividi dicit. 1. In Gratiam inherentem & non inherentem. Inherentem finiri ait, quæ in nobis est

bi est : Non inherentem , quæ extra nos est : cuiusmodi est incarnatio divini verbi , prædicatio Evangelii : Institutio Sacramentorum , mors Christi , miracula. Secundo gratiam inherentem dividi , pergit , in gratiam gratis datam & gratiam gratum facientem. Gratiam gratis datam dici , quæ alicui gratis confertur ad aliorum præcipuè salutem & utilitatem , ut est donum Prophetiæ , linguarum , miraculorum. 1. Cor. 12. v. 7. Gratiam gratum facientem dici , quæ alicui gratis confertur ad proximi salutem & utilitatem. Tertio gratiam gratum facientem cum cæteris Jesuitis subdividit in actualem & habituales. Actuales finit , quæ datur vobis per modum auxilii transeuntis. Habituales , quæ per modum qualitatis permanentis. Rursus actualis subdividitur. 1. in excitatam & adjuvantem. 2. in prævenientem & subsequenter. 3. in operantem & cooperantem. 4. in sufficientem & efficientem. Alii vocant efficacem & inefficacem : alii congruam & non congruam. Quarto habituales completur varios habitus supernaturales , qui divinitus infusi sunt , ut habitus Fidei , Spei , Charitatis & gratiæ justificantis.

XLVII. Videatur ipse Becanus , Item Bellarm. lib. 1. de grat. & liber. arbit. cap. 2. Actuales vocat Gratiam auxilii specialis , eamque definit , quod sit motio DEI , quæ homo ad operationes , quæ naturam suam aliquo modo superant , adjuvatur.

XLVIII. Verum enim verò sententiam & partitiones has gratiarum nobis inherentium plenas absurdissimarum impietatum esse statuimus. Nam utut gratias nominent partes illarum divisionum , sunt nihilominus opera nostra , & merita , quæ à justificationis actu in scriptura simpliciter & sine omni exceptione excluduntur , utque partitiones istæ omni ratione ac fundamento scripturæ carent : sic in subsidium duntaxat absurdi dogmatis Jesuitici de justificatione operum confinguntur : cum omne id , quod in nobis est gratiarum sive donorum ad gratiam gratis datam pertineat , nec contradistinctam speciem Gratia gratum facientis , nobisque habitualiter inherens admittat. Id quod ex unico illo Servatoris Epiphonemate Luc. 17. vers. 10. est longè manifestissimum : si omnia feceritis , quæ præcepta sunt vobis , dicite : servi inutiles sumus ; nam quod debuimus

buimus facere fecimus: tantum abest, ut nobis inhereat Gratia aliqua gratum faciens.

XLIX. Taceo, quod Apostolus Paulus Gratiam DEI, qua justificamur, a donis infusis apertissime accuratissimeque distinguat, quando Rom. 5. v. 15. sic scribit: *Gratia DEI & donum per gratiam, quae fuit unius hominis Iesu Christi in multos exuberavit.* Ubi sane per *χάρις* intelligit gratiam DEI erga nos dilectionem, uti versus quartus explicat: *ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ*, Dilectio DEI, effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Deinde per *δωρεάν ἐν τῇ χάριτι*, omnia salutaria effecta gratiae intelligit Apostolus.

L. Et idem Apostolus Phil. 2. v. 13. totam illam distinctionem Gratiae inhaerentis structuram funditus evertit. Sic enim argumentor: Quod Deus sibi reservat singulariter perficiendum in homine; illud non est infusis & inhaerentibus qualitatibus tribuendum: Atqui Deus sibi reservat, quod velit in nobis operari & *τὸ* velle, & *τὸ* perficere: Ergo operari in nobis & *τὸ* velle, & *τὸ* perficere non est infusis & inhaerentibus qualitatibus tribuendum.

LI. Jesuitae vim hujus ἀποδείξεως animadvertentes, excipiunt, se non statuere, quod infusa gratia absque auxilio aliquo speciali, vel ad perficiendum vel ad perseverandum sufficiat.

LII. Sed exceptio ista mera petitio principii est. Id enim in quaestione & controversia est: An homini speciale aliquod auxilium concedi queat, quod infusam gratiam adeo confortet ac confirmet, ut ea sic confirmata salutem perficere, usque ad finem perseverare, omnesque tentationes superare possit.

LIII. Extra omnem quidem controversiam est, DEUM posse homines tali gratia in hac vita instruere; Verum non tam quid possit, quam quid velit Dominus, ex Scriptura indagandum est.

LIV. Quid? quod plane ineptiant Jesuitae ad auxilium hoc speciale confugientes: Dicant, vel nominent illum.

C

exto-

ex toto humano genere, & quidem ex sanctorum numero, qui istiusmodi infuso habitu Gratiae donatus, salutis suae negotium vel inchoare vel perficere potuerit. Imò hos ipsos Christus orare docuit: *Remitte nobis debita nostra.* Et Joh. 1. Ep. 1. v. 8. *Mendaces pronunciat, qui dixerint, se non habere in se peccatum.* Arque Salomon universaliter infert: *Nemo est, qui non peccat, neque quisquam dicere potest: purgavi animum meum, mundus sum à peccato.* Hinc ita arguemur: Qui 1. quotidie precari tenetur, ut sibi remittantur peccata 2. sine mendacio dicere non potest, se non habere in se peccatum 3. semper peccat, indeque dicere nequit, purgavi animum meum, & mundus sum à peccato; in illo perfecta iustitia, vitam æternam promerens, locum non habet: Atqui omnis homo precari tenetur, ut sibi peccata remittantur &c. Ergò in nullo hominum perfecta Iustitia, vitam promerens, locum habet.

L V. Objicit Bellarminus lib. 1. de gratia & lib. arbi c. 4. illa scripturae testimonia, quibus dicitur *Gratia diffundi & effundi in cordibus nostris*, Rom. 5. v. 5. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et ad Tit 3. v. 6. *Spiritum Sanctum diffudit in nos abundè.*

L VI. Primum respondemus ad terminum *Charitas DEI*, ludere Jesuitam fallacia partim phraseos, partim æquivocationis. Terminus enim *Charitas DEI* usurpatur interdum active, qua DEUS nos amat; interdum passive, qua DEUS à nobis amatur: Sic passive accipitur 2. ad Theff. 2. v. 10. ubi nominavit *ἀγάπην τῆς ἀληθείας.* Luc. 11. v. 42. *preteritis iudicium & Charitatem DEI.* Et Johan. 5. vers. 42. *Novi vos Charitatem DEI non habere in vobis.* Active verò sumitur Ephes. 2. v. 4. *DEUS dives misericordia, ἀγάπην πολλὴν αὐτῷ propter multam Charitatem suam.* Item cap. 3 v. 19. *Cognoscere τὴν ἀγάπην τῆς γνώσεως ἀγάπης τῆς ἀληθείας:* Charitatem illam Christi omni cognitione superiorem Coloss. 1. v. 13. *Et transtulit in regnum Filii dilectionis suae.* 1. Johan. 4. vers. 12. *Per hoc perfecta est Charitas DEI in nobis.*

LVII. Aut ergò passivè aut activè Charitatis vox hoc loco sumenda est. Passivè accipit *Augustinus de spiritu & lit. cap. 32.* & post eum alii, atq; ipse hoc loco *Bellarminus*. Si autem hæc interpretatio vera & retinenda esset, negarem quod supponit, non probat *Jesuita*, hanc esse gratiam, quâ nos justificari *Paulus* dicat. Cur enim non effectus potius sit ejus justificationis? Nam *Lyranus* quoq; hanc charitatem vocat arrham gloriæ: Atqui Justificatio nostri plus est, quàm arrha, nempe causa gloriæ.

LIIIX. Verùm nos activè potius hîc intelligendam esse censemus, de ea charitate, quâ Deus nos prosequitur. Et sententiam hanc quando retinemus, nihil in hoc loco momenti est in causa *Bellarmini*. Nam ut fateamur hanc charitatem esse gratiam, qua justificamur: certum tamen est, non inhaerere nobis, sed esse extra nos in Deo. Quanquam ne hæc quidem est ad hanc rem, cum non sit forma, sed efficiens justificationis.

LIX. Sed contra hanc disputationem acriter pugnat *Bellarminus* unius *Augustini* autoritate, quem *Lutheranus* & *Calvinianis* omnibus anteponi velimus, nolimus, oporteat. Et verò tanti nominis virum, nunquam nobis invitis ille prætulit: nec inculpaverimus, quo minus vicerit ejus sola autoritas prolata; si ei autoritari, solam nos nostrorum autoritatem opposuerimus. Sed non esse eam sententiam à nobis excogitatum sciunt *Jesuitæ*, sed ab ipso Apostolo ut propositam, sic confirmatam statim subsequenti versu 8. ubi hanc charitatem Dei nominat *ἀγάπην τῆς Θεοῦ εἰς ἡμᾶς*, Charitatem Dei erga nos; qua ipse dilexit nos, non qua à nobis ipse diligitur. Adde, quod idem confirmet scopus Apostoli: qui in eo est, quod velit hanc Dei charitatem nobis instar esse basis ac fundamenti, in quo glorificationis nostræ materiam fundare ac stabilire debemus. Unde sic argumentamur: Nihil nobis inhaeret, de quo gloriari coram Deo possumus: de hac charitate coram Deo gloriari possumus: Ergò hæc charitas nobis non inhaeret. Vel ita: Funda-

C 2

men-

mentum, in quo gloriationis nostræ erga Deum materiam fundare ac stabilire possumus aut debemus, non est aliquid nobis inhærens : Atqui charitas Dei, de qua loquitur Apostolus, est fundamentum, in quo gloriationis nostræ erga Deum materiam fundare ac stabilire possumus aut debemus : Ergo charitas Dei, de qua loquitur Apostolus, non est aliquid nobis inhærens.

LX. Major probatur r. Nam id, in quo gloriari possumus, vel quod tanquam fundamentum nobis gloriationis materiam largitur, oportet sit perfectum : At quod nobis inhæret, perfectum non est : Est enim imperfectum & multis vitiis inquinatum : Ergo quod nobis inhæret, non potest tanquam fundamentum nobis gloriationis materiam largiri. Deinde ipse Apostolus alibi indefinitè pronunciat, nihil quicquam nobis inhære, de quo coram Deo gloriari possimus; adeò, ut qui gloriari velit, non nisi in Domino gloriari possit ac debeat r. *Cor. I. v. 31.*

LXI. Jam eligat Bellarminus utrum alteri præferre velit, an Augustinum Paulo, an verò Paulum Augustino. Hinc etiam multi sunt ex Patribus, qui activam prætulerunt : Chrylost. ἵνα γὰρ μή τις λέγῃ, τί ἔστι, εἰ μὴ βέβηται ἡμῶν χάρισι καὶ ὁ θεός; ὅτι μὴ γὰρ δύναται καὶ θένει, καὶ ζῆ πάντες ἴσμεν. Πόθεν δὲ οὐ καὶ βεβησέναι, ἀπὸ τῶν ἤδη γεγενημένων. Ποίων γεγενημένων τῆς ἀγάπης, ἣν περὶ ἡμᾶς ἐπεδείξατο. Ne quis dicat, quid ergo, si nolit nobis gratificari Deus? nam posse & vires habere & vivere, scimus omnes : sed unde sciremus, esse ejus consilii? ex his, quæ jam facta sunt. Quenam illa facta? Ex Charitate, quam erga nos manifestavit. Et post pauca : Εἰπὼν ἡ ἐλπίς ἔκαταχύνει, ἔτι τοῖς ἡμετέροις κατερθώμασι, ἀλλὰ τῇ ἀγάπῃ τῆς θεοῦ τὸ πᾶν ἀνεθήκεν. Postquam dixi, Spes illa non pudefacit; non nostris meritis, sed dilectioni DEI, id quicquid est, imposuit. Ambrosius : Pignus enim Charitatis DEI habemus in nobis per Spiritum Sanctum datum nobis. Primasius : Quomodo nos DEVS diligit, ex hoc cognoscimus. Theophylactus : Confirmat, quæ nobis à Charitate ipsa, quam erga nos DEVS ostendit, sunt obventura.

62. Imò

LXII. Imò ex ipsis Papistis non desunt, qui hanc aeti-
vam interpretationem sequuntur: Cajetanus: Et propterea soli-
dum spei fundamentum ex dilectione DEI erga nos, manifestat, dicendo:
quia dilectio DEI. Tolocus: Probat Paulus efficaci argumento spem non
confundere, sed certissima esse, quæ speramus, nec DEVM defuturum pro-
missis suis. Probatio autem & argumentum tale est, quia, quia ex fide ju-
stificati sumus, habemus jam Charitatem DEI effusam in nostris cordibus,
quæ non inimici DEI, ut ante, sed amici & chari, dilectiq; sumus a DEO.
Et mox: Charitatem DEI appellat, quæ diligit nos DEVS, & ab ipso di-
lecti sumus. Benedictus Justinianus in paraphrasi: Porro Spes nullo
unquam tempore pudore afficit, aut rubore aliquo diffundit, sed potius pu-
dorem illum, qui ex rebus adversis coram hominibus oriri nonnunquam so-
let, penitus expellit, propterea quod divina illa Charitas, quæ nos DEVS
ipse complectitur, in corda nostra effusa est. &c.

LXIII. Neq; huic sententiæ obstat, quod Apostolus affirmat,
charitatem hanc diffusam esse in cordibus nostris. Non enim ita signi-
ficatur ejus inhærentia, sed efficacitas agentis potenter in cor-
da nostra; simulq; nobilissimæ gratiæ effectus, qui in sanctifi-
catione sive renovatione mentis nostræ cōsistunt, quiq; homi-
nem non justificant, sed jam gratis justificatum consequuntur.
Benedictus Justinianus: Neq; obest huic interpretationi, quod ait A-
postolus, charitatem in cordibus nostris esse diffusam: nam si spectemus vim
Græcæ vocis, effusam potius ac liberalissimè declaratam, idq; concessis Spiri-
tus sancti muneribus, significare voluit.

LXIV. Adducit quodq; Bellarminus alia scripturæ loca,
quibus gratia comparatur pignori, sigillo, unctioni, semini &c.
2. Cor. 1. v. 21. & 22. 1. Johan. 2. v. 27. Ubi concludit Bellarminus:
Quid enim aliud est semen Dei in nobis manens, nisi charitas habitualis, ex
qua fructus bonorum operum nascuntur.

LXV. Argumentum si in formam resolvatur, erit ejusmo-
di: Quæ gratia nobis tributa, ab Apostolis comparatur rebus
permanentibus, ea debet definiri per habitum charitatis nobis
infusum & subjectivè inhærentem: Atqui gratia DEI, nobis
tributa, ab Apostolis comparatur rebus permanentibus: Ergo
gratia Dei debet definiri per habitum charitatis nobis infusum
& subjectivè inhærentem.


LXVI. Quis Bellarmino concederet maiorem propositionem? Sanè à metaphoris ac similitudinibus ad ipsam rerum naturam sive definitionem argumentari, est arenam nectere, & nihil concludere. Imò vel ipse Bellarminus maiorem non concederet. Retentâ enim eadem maiore, subsumo *Spiritum Sanctum*, & sic colligo: Quodcunq; ab Apostolis comparatur rebus permanentibus, nobisq; tribuitur; id debet definiri per habitum nobis infusum & subjective inhærentem: Atqui in locis allegatis Apostolicis Spiritus Sanctus comparatur rebus (nempè arrhaboni, pignori, semini,) & nobis tribuitur: Ergò Spiritus sanctus debet definiri per habitum infusum & subjective nobis inhærentem. Quam collectionem rejicit ipse Bellarminus *libr. 1. de grat. c. 8.*

LXVII. Objiciunt Jesuitæ, nos spoliare pios omni infusa gratia habituali: proindeq; nullum relinquere discrimen inter pios & impios. Verùm committunt mali hi disputatores vitium *τὸ μὴ εἶναι τὸ πρ.* Non enim hoc ex nostra sequitur sententia: sed contrarium. Nam docemus justificationem hominis sequi renovationem: non ergò infusam & habitualement gratiam ab homine justificato; sed justificationis meritum à gratia infusa removemus; cum hæc non justificationis causa, sed consequens sit. Est ergò infusa sive inhærens gratia in homine justificato: sed non est causa in homine justificato, propter quam est justificatus: sed tantùm est Justificationis sive justificati fructus.

Hæcenus de terminis.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.





99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092



SB

Repro

VD 77







Farbkarte #13

B.I.G.



19

I SECUNDI
in Confessionem

ARTIO IV.
ntinens
ARTICULI IV.

IS GRATIS
RATIA,

posita
Academiâ VVittebergensi,

S I D E
ARTINI, SS. Th.

rimario, Facult. Theol.
pli Arcis Præposito:

ONDENTE
VINNEMERO,
si-Pomerano.

ditorio Collegii Veteris
nem 26. Julij.

EBERGÆ,
OMONIS AVERBACH,
M DC XXIX

